

revera sit tale, et non tantum apparens, ut ad illud Deus sic moveat; non ergo ita movet ad actum peccati. Secundo, accipio ex hac solutione, hanc motionem peculiarem, qua Deus movet ad aliquid determinate volendum, non esse simpliciter necessariam ut voluntas ad aliquod bonum, etiam verum et honestum, determinetur. Nam in proxime præcedentibus verbis dixerat D. Thomas voluntatem per rationem se determinare ad vere bonum, et in his solum ait interdum moveri a Deo ad determinate volendum aliquid quod bonum est, ponitque exemplum in operibus, ubi ex peculiari ratione talis motio necessaria est, non vero ex generali ratione actus boni seu honesti. Tertio respondeo D. Thomam non dicere Deum determinare voluntatem, præsertim quoad exercitium actus, circa tale bonum, sed movere voluntatem ad illud determinate volendum, cum tamen hæc duo valde diversa sint. Nam determinare, prout hoc verbo utuntur auctores contrariæ sententiæ qui iis testimoniis D. Thomæ utuntur, est ita imprimere determinationem voluntati, ut illa recepta non possit non consentire in tale bonum; et movere voluntatem ad aliquid determinate volendum solum significat inclinare illam non solum ad bonum in communi, sed ad tale bonum; ut quando Deus inspirat affectum fidei, movet voluntatem ad determinate volendum credere, quamvis illa motio talis sit ut in potestate voluntatis sit velle, aut non velle, vel nolle id ad quod determinate movetur; vel sicut habitus charitatis determinate inclinatur ad perfecte amandum Deum, unde recte dicitur Deus, infundendo talem habitum, movere voluntatem ad aliquid determinate volendum, id est ad Deum sic amandum, quamquam ex vi illius infusionis non determinet in priori sensu voluntatem ad talem actum, seu ad usum talis actus.

Est autem notanda differentia a D. Thoma intenta in illa solutione inter Deum, ut universalem, et specialem motorem, quod, ut motor universalis, non præmoveret voluntatem nisi ad bonum in communi, utique per naturalem inclinationem inditam voluntati. Ibi enim non agit de motione prout significare solet apud ipsum generalem concursum Dei, sed de prævia motione ratione ejus naturales motus tribui solent auctori naturæ propter naturalem facultatem aut inclinationem ab illo receptam, ut supra dictum est; secundum hanc ergo motionem seu inclinationem ait D. Thomas Deum solum movere ad bo-

num ut sic, et relinquere voluntati ut per rationem se determinet ad hoc vel illud bonum. Et ita respondet ad argumentum, quod si Deus moveret voluntatem, semper moveretur ad bonum, cum tamen constet sæpe moveri ad malum sub aliqua apparenti ratione boni. Responsio autem est, ex parte Dei seu inclinationis ab illo datæ moveri ad bonum, etc.; ex libertate autem sua determinari voluntatem ad tale bonum, quod revera honestum non est, necessariumque existimat, ad excusandum Deum, ut motio ejus de se non sit determinata ad bonum, quod vere bonum non est. Quod cum sit verum de motione etiam per solam inclinationem, multo magis necessarium erit de motione per omnimodam determinationem. At Deus ut motor specialis movet interdum; estque maxime necessarium in operibus gratiæ ad aliquid determinate volendum; illud tamen semper verum bonum est. Hæc autem motio semper est per aliquid additum inclinationi voluntatis, sive illud sit aliquis bonus habitus infusus, sive simplex affectus voluntati inditus, qui non est consensus liber, sed inclinatio in illum. Utrique autem generi motionis commune est ut usus ejus subjaceat hominis voluntati, alioqui consensus non esset liber. Unde prior motio universalis, si præcise spectetur ut tendit in bonum in communi, subjacet dominio voluntatis quoad exercitium actus, nam quoad illud est liber, quia in illo potest particularis ratio boni aut mali spectari; quoad specificationem autem non est ille actus liber, quia in ratione boni in communi nulla ratio mali cogitari potest, et secundum eam rationem maxime attribuitur Deo determinatio ad talem actum.

At vero quando Deus movet voluntatem speciali motione ad aliquid determinate volendum, motio illa subjacet in usu dominio voluntatis, non solum quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem; quia actus consentiendi in illam motionem utroque modo liber est, et quia in bono illo particulari semper potest aliqua ratio mali seu incommodi cogitare; semper ergo determinatio est a voluntate, quantumvis determinationem motio Dei antecedit, et concursus seu cooperatio comitetur.

Juxta hæc facile explicantur alia loca in quibus D. Thomas specialiter agit de auxiliis gratiæ. Secundum ergo testimonium sit ex quæstione centesima nona, articulo secundo, ubi præter virtutem gratuitam requirit, ad

bonum supernaturale operandum in quocumque statu, auxilium Dei, quo moveat hominem ad bene agendum; sed ibi loquitur de auxilio Dei moventis, proportionato in unoquoque ordine rerum, per illud nomen intelligens consursum Dei ut primæ causæ, nam necessitatem ejus fundat in illo principio, quod nulla res certa potest in quemcumque actum prodire nisi virtute motionis divinæ, quod posuerat in articulo primo ejusdem quæstionis, et repetit in articulo nono. Præter hoc autem auxilium, etiam requirit, in illo articulo nono, in statu naturæ lapsæ peculiarem directionem et protectionem Dei ad non peccandum, etiam gratiam sanctificantem consecutam; sed verba ipsa D. Thomæ, scilicet: *Necesse est nobis ut a Deo dirigamur et protegatur, quia omnia novit et omnia potest*, satis declarant hoc auxilium non requiri propter physicam determinationem, sed propter moralem directionem et gubernationem, sub infinita potentia et sapientia Dei, quæ hominis lapsi ignorantiam et imbecillitatem suppleat; et de eodem genere auxilii loquitur in 2, distinct. 28, quæst. 1, artic. 1, ad 3.

Tertium testimonium sumitur ex 1. 2, q. 111, art. 2, ubi tractans divisionem de gratia, ait, operantem gratiam dari ad interiorem actum voluntatis, quæ se habet ut mota, Deus autem ut movens, et præsertim cum voluntas incipit bonum velle, quia prius malum volebat; intelligit autem solum Deum esse moventem in tali actu; sic enim prius dixerat in illo effectum, in quo mens nostra est mota, et non movens, solus autem Deus est movens, operationem Deo attribui; et secundum hoc dici gratiam operantem, quia operatio alicujus effectus non attribuitur mobili, sed moventi.

Respondetur de hac divisione et sensu ejus varios esse explicandi modos, quos libr. 3 de Auxiliis, capit. 5, proposuimus; in nullo autem sensu spectat ad prædeterminationem physicam; in illo autem loco D. Thomæ, specialiter considerandum est quo sensu dicat voluntatem in quodam actu se habere tantum ut motam, in alio vero ut moventem et motam, et in priori motionem attribui soli Deo ut operanti, in posteriori vero et Deo et voluntati ut cooperantibus. Nam si hic sermo sit de actu libero quo voluntas consentit, manifestum est esse a voluntate ut a causa efficiente illum actum in seipsa; ergo necesse est ut, physice et secundum veram rationem causæ efficientis loquendo, sit in voluntate non solum ut in mobili, sed etiam movente, quia

omnis causa efficiens motionem in aliquo mobili est movens ejus; igitur intelligendo illam doctrinam D. Thomæ in ordine ad ejusmodi actum, necesse est ut intelligatur solum secundum moralem quamdam attributionem; hoc enim verbo attribuendi sæpe ibi utitur, reducitque ad illum sensum quo aliis locis dicit primum actum voluntatis attribui Deo ut primo generali moventi, quia non est ex priori actu voluntatis, neque ex consilio, sed ex naturali inclinatione indita ab auctore naturæ; ita etiam quia actus supernaturales non sunt ex pura inclinatione ejus, sed ex dono superaddito; ideo primus actus supernaturalis ordinis quem voluntas elicit, quemque ibi D. Thomas interiorem vocavit, dicitur esse ex Deo, non ut condente naturam, sed ut operante in ipsam antequam ipsa valeat ex vi prioris intentionis per consilium se movere ad moraliter operandum. Per hanc autem attributionem non excluditur quin voluntas libere cooperetur illi divinæ motioni in eliciendo tali consensu, vel se determinando ad illum, quod perinde est.

Atque ita plane explicuit illam doctrinam idem D. Thomas, quodlib. 1, artic. 7, ubi necessitatem hujus operationis Dei ita deducit, quia voluntatis principium est electio, et electionis consilium; si autem quærat quomodo consilium incipiat, non potest dici quod ex consilio consilium inciperit, quia sic esset in infinitum procedere. Unde oportet aliquid exterius principium esse quod moveat mentem humanam ad consiliandum de agendis. Ex quo principio tandem concludit non posse hominem se præparare ad gratiam nisi per divinum auxilium; subintelligit enim esse tacite supponit hanc motionem debere esse in unoquoque actu proportionatam illi; et nihilominus, in solutione ad 5, ait hanc necessitatem auxilii divini non excludere quin hominis sit se præparare ad gratiam per liberum arbitrium. Et in solutione ad 2, subjungit sententiam notandam: *Deus movet omnia secundum modum eorum, et ideo divina motio a quibusdam participatur cum necessitate, a natura autem rationali cum libertate propter hoc quod virtus rationalis se ad opposita habet*. Explicans autem quid sit necessarium ad hanc libertatem, subdit: *Et ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere, et sic ex Deo est ut homo se ad gratiam præparet, sed quod gratia careat, non habet causam a Deo sed ad hominem*; in qui-

bus verbis valde notandum est quod, ad salvandam libertatem, necessarium putavit D. Thomas ut divina motio talis sit ut voluntas possit ei resistere, quod verbum (ut alibi notavimus) facit sensum compositum, ita ut, posita Dei motione, quatenus antecedens est, et a solo Deo, adhuc sit in potestate voluntatis non operari; hoc enim est resistere; verificatur autem hoc diverso modo, in motione Dei antecedente, quæ est per cognitionem aut simplicem affectionem immissam, et in concomitante, quæ est per concursum. Nam prior quoad suum esse non pendet a libera cooperatione hominis, neque illam requirit, et ideo resistere non potest homo quin eam in se recipiat, ac propterea necesse est ut efficientiæ ejus resistere valeat, ita ut illa non obstante actus consentiendi non sequatur, nam si hoc saltem non esset in potestate voluntatis, nulla vera resistantia esset in potestate ejus. At posterior motio pendet in suo esse actuali a cooperatione libera voluntatis, seu absque illa non existit, et hac ratione est in potestate voluntatis ei resistere, etiam quoad suum esse, id est impedire ne sit, et ideo talis motio non ponitur antecederet a solo Deo quoad suum esse reale et actuale; nam si ita semel poneretur, nec voluntas posset impedire terminum ejus, nec influxum seu immissionem illius, ac proinde nullo modo posset ei resistere.

Sed contra hoc objici solet quarto testimonium ejusdem D. Thomæ 1. 2, quæst. 112, artic. 3, ubi, in operibus saltem gratiæ, majorem efficaciam tribuere videtur divinæ motioni, eamque revocat in solam Dei intentionem, dicens: *Si ex intentione Dei moventis est quod homo, cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter illam consequitur secundum illud Joan. 6: Omnis qui audit a Patre, et didicit, venit ad me.* Sed verba illa et a D. Thoma dicta sunt in sensu longe diverso, et, accepta in illo in quo allegantur, non obstant nostræ sententiæ, sed quamdam ejus partem confirmant. Declaro singula. Et imprimis considerandus est titulus articuli, qui est, an necessario detur gratia se præparanti ad gratiam, seu facienti quod in se est, ubi nomine gratiæ manifeste intelligit D. Thomas gratiam habitualement et sanctificantem ad quam homo se præparat prævia motione Dei, seu gratia auxiliante ad quam non præcedit præparatio ex parte hominis, ut in artic. 2 idem sanctus explicuit; non igitur quærit an, posita prævia motione Dei, necessario sequatur

consensus hominis in sensu composito, quod esset quærere an, posita in homine gratia præveniente, necessario sequatur adjuvans vel cooperans. Quisensus neque esset ad propositum materiæ, de qua ibi tractatur, nec posset accommodari verbis citatis, quia per solum auxilium præveniens vel excitans non potest homo dici se præparare ad gratiam, eademque ratio est de qualibet prævia motione quæ a solo Deo fiat; nam præparatio ad gratiam esse debet per motum liberi arbitrii, et ea ratione dicitur homo se præparare, secundum illud Proverb. 16: *Hominis est præparare animam*, ut in art. 2 D. Thomas dixerat, quamvis multo magis tribuatur Deo talis præparatio, quia principaliter est ex motione ejus, ut ibidem ait. Sensus ergo quæstionis illius articuli tertii est, an sit certa et necessaria connexio inter talem præparationem (utique perfectam), et inter sanctificantem gratiam, ita ut hæc necessario infundatur ei qui sic se præparaverit, et in hoc sensu respondet D. Thomas affirmando necessario infundi, non ex merito liberi arbitrii secundum se, sed ex dignitate divinæ motionis, *quia intentio Dei (ait) deficere non potest*, et tunc adjungit illa verba: *Unde si ex intentione Dei est, etc.*, quæ virtute continent hanc rationem: Deus non potest mutare voluntatem suam; ergo non potest non infundere gratiam quam decrevit et intendit infundere ei qui se præparat juxta intentionem ipsiusmet Dei. Hanc autem intentionem Deus habet, cum cor hominis movet, ut se ad gratiam præparet; ergo necessario exequitur hanc intentionem, si homo se præparet. Unde, ex vi illorum verborum, ad eorum veritatem necessarium non est ut intelligantur de absoluta intentione Dei prædefinita, sed sufficit intentio includens conditionem, scilicet: Si homo se digne præparaverit, infundam ei gratiam; nam ex hac intentione Deus movet cor hominis; unde si conditio impleatur, impossibile est quin Deus gratiam infundat. Ad hoc autem satis est ut illa præparatio sit in potestate hominis cum auxilio Dei, quamvis ad illam non determinetur sine sua cooperatione libera. Atque hic sensus evidenter confirmari potest ex eodem D. Thoma, in 4, distinct. 17, quæst. 1, art. 2, quæst. 3.

Addimus vero ulterius verba illa nude spectata posse intelligi de intentione Dei absoluta, ut homo, cujus cor movet, sanctificantem gratiam consequatur, ita ut sensus sit, quod, si Deus ex hac intentione hominem

movet, necessario sequatur hominem moveri et se præparare sufficienter ad consequendam gratiam; et hic etiam sensus, esto non sit ibi intentus, in se verissimus est. Nam sine dubio ex hac intentione Deus movit Paulum, quando illum convertere voluit, et, ut ego opinor, ex eadem intentione movet omnes prædestinatos, et fortasse etiam omnes alios qui cum effectu sanctificantur. Talis autem Dei intentio non potest frustrari, cum sit efficax voluntas Dei; ergo oportet ut ex vi illius ita homo moveatur ad se præparandum, ut infallibile sit, posita tali motione, ponendam esse præparationem, quia sine illa non infundetur gratia, nec implebitur divina intentio; intenditur ergo ibi aliqua necessitas seu necessaria connexio inter motionem Dei et cooperationem hominis. Hoc ergo totum verum esse fatemur. At vero idem D. Thomas diserte ibidem explicuit illam non esse necessitatem coactionis, sed infallibilitatis. Ubi per necessitatem coactionis (ut mox in alio testimonio videbimus) intelligit necessitatem simpliciter seu absolutam, qualis est omnis illa quæ est ex causis prioribus, ut supra notatum est. Et ideo sola necessitas infallibilitatis alteri necessitati opponitur, eamque sufficere putat ut illa intentio Dei immutabiliter impleatur. Necessitas autem infallibilitatis dicit ordinem ad præscientiam, ut vox infallibilitatis aperte indicat, et idem colligitur ex verbis Augustini, quæ D. Thomas ibidem citat, dicentis prædestinationem esse præparationem beneficiorum Dei, quibus certissime liberamur. Ergo ad veritatem illius sententiæ, solum est necessarium ut ex vi illius intentionis Deus moveat hominem per vocationem congruam, quæ ex præscientia aliqua habeat infallibilem connexionem cum hominis cooperatione; illa autem præscientia esse non potest nisi conditionata, quam perinde videretur D. Thomas in illis verbis insinuasse, si in illo sensu ea protulisset. Et hoc sensu intelligi potest quod D. Thomas ait, quæst. 6 de Malo, artic. unic. ad tertium, *quod Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest, sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed magna libertas.* Tacite vero declarans quomodo immutabiliter, subjungit: *Sicut etiam in omnibus providentia divina infallibiliter operatur; et tamen a causis contingentibus proveniunt effectus contingentes, etc.*

Quinto, objici solent testimonia D. Thomæ quæ ad divinam prædefinitionem vel prædestinationem pertinent; semper enim omnia reducit ad divinam voluntatem, præsertim in his quæ ad gratiam pertinent. Unde 2. 2, quæst. 24, artic. 3, ait quantitatem charitatis dependere solum ex voluntate Spiritus Sancti distribuentis sua dona; et in solutione ad primum, licet fateatur hoc etiam pendere ex dispositione recipientis, statim vero subjungit hanc dispositionem, et conatum ad illam, præveniri a Spiritu Sancto movente hominem plus vel minus, secundum suam voluntatem; et juxta hoc principium totum negotium prædestinationis reducit semper ad divinam voluntatem, ut 1 part., quæst. 23, artic. 5; et interdum dicit Deum omnia prædeterminare, ut super Dionysium, cap. 5 de Divinis nominibus, lect. 3, et interdum de tota Dei providentia ita loqui videtur, etiam prout versatur circa humanas voluntates, ut videre licet 1 part., q. 19 et 22; et 3 Contra gentes, cap. 159, et 90; et quæst. 6 de Verit., artic. tertio, ad tertium.

Hæc vero et similia testimonia nihil ad rem præsentem faciunt; solum enim duo vel tria principia certa ex eis colliguntur: unum est, Deum habere providentiam actuum etiam humanorum, seu liberorum, et certitudinem providentiæ non repugnare libertati, neque e converso libertatem tollere infallibilitatem providentiæ. Quomodo autem hæc duo inter se convenient non explicuit D. Thomas in particulari in dictis locis, sed solum ex sapientia et potentia Dei colligit id non repugnare. Illud autem est in his locis consideratione dignum, quod fere semper explicat hanc proprietatem providentiæ per certitudinem et infallibilitatem, et conjungendo etiam sapientiam cum potentia, ut supra etiam notatum est. Aliud principium est, negotium totum prædestinationis ex sola divina voluntate originaliter pendere, habereque Deum in thesauro potentiæ et sapientiæ suæ modum, quo infallibiliter consequatur id quod prædestinavit, etiamsi per liberas actiones obtinendum sit. Nunquam vero in illis locis D. Thomas dicit, vel Deum prædestinare omnia, tam mala quam bona, vel tam naturalia quam supernaturalia, imo oppositum significat 1 part., quæst. 23, art. 7.

Nunquam vero apud D. Thomam invenitur quod infallibilitatem hanc prædestinationis reducat ad solam Dei motionem physice prædeterminantem, seu, quod perinde est, quod

illam reducat ad talem motionem a solo Deo impressam, qua posita, ex vi ejus infallibile ac perinde necessarium sit sequi effectum. Quin potius, quæst. 6 de Veritate, art. 3, ubi, cum dixisset difficile esse concordare infallibilitatem prædestinationis cum libertate arbitrii, eam expedit dicens ordinem providentiæ dupliciter certius inveniri: *Uno modo in quantum una causa singularis producit effectum suum, ex ordine divinæ providentiæ; alio modo quando ex concursu causarum multarum contingentium, et descere possibilem, pervenitur ad unum effectum, quarum unamquamque Deus ordinat ad consecutionem effectus loco ejus quæ deficit, vel ne altera deficiat;* et subdit inferius: *Et hoc modo est in prædestinatione; liberum enim arbitrium deficere potest a salute; tamen in eo quem Deus prædestinat, tot alia adminicula præparat, ut, vel non cadat, vel si cadat, quod resurgat; sicut exhortationes et suffragia orationum, donum gratiæ, et alia hujusmodi quibus Deus adminiculatur homini ad salutem.* Ex quo discursu manifestum videtur non credidisse D. Thomam certitudinem prædestinationis positam esse in unica prædeterminatione physica, alioqui non oportuisset eum recurrere ad mediorem multitudinem, vel saltem inter illa adminicula hoc potissimum poneret, quod tamen non facit; imo de singulis quæ enumerat, significat nullum esse de se infallibile. Imo in illo loco etiam significat, etiam ex præscientia Dei in nullo determinato auxilio esse infallibilitatem et efficaciam, sed solum in collectione et multitudine. Verumtamen hoc jam est a nobis in superioribus explicatum, debere intelligi de mediis secundum se sumptis, non prout cadunt sub scientiam Dei. Quando enim dat Deus prædestinato vocationem, verbi gratia, qua de facto ille non convertitur, non ignoravit Deus illam futuram fuisse inefficacem, etiam prius ratione quam illam dare vellet; sed nihilominus illam dare voluit propter alias rationes providentiæ suæ, simulque præsciens non inde fore impediendam suam prædestinationem vel electionem; quia in sua præscientia habebat alia media per quæ posset tandem consequi effectum a se prædefinitum.

Unde aliud etiam principium ex illis locis D. Thomæ colligitur, nempe posse Deum præfinire actus liberos, ut sic, per absolutum et efficax decretum, quod nos verissimum credimus, et de facto bonos actus ita præfinire, eos præsertim qui sunt media prædestinationis. Hinc vero non recte inferitur præ-

definitionem hanc, quæ est ad intra et quasi per modum intentionis, mandari executioni per determinationem physicam, quam Deus solus faciat in voluntate creata, quia talis modus executionis esset quodammodo contrarius tali prædefinitioni. Nam per decretum prædefinitivum decernitur ut actus libere fiat; per illam autem physicam prædeterminationem fieret quidem actus, sed non libere. Item, quia non deest divinæ sapientiæ et potentiae modus alius quo possit facilius et suavius implere voluntatem suam. Nec D. Thomas citatis locis aliud significat, et in aliis quæ statim citabimus, nobiscum plane sentit in explicando modo quo Deus exequitur prædefinitionem aut prædestinationem suam, et in dict. quæst. 6 de Veritate, non parum hoc indicat. Solum quoad usum verborum est advertendum, interdum D. Thomam uti verbo determinandi pro verbo præfiniendi vel prædestinandi, ut constat ex citato loco in Dionysium, et 2. 2, quæst. 174, artic. 4, ipsa loca inter se conferendo. Sed hoc non ad rem, sed ad usum verborum spectat; nam verbum prædeterminandi potest æquivoce sumi, vel pro sola interna determinatione in proposito, vel pro externa; sicut de præparatione ait idem D. Thomas, 1 p., q. 23, art. 2, ad 3; et in art. 1, ad 1, loquitur de prædeterminatione ad extra, et sic cum Damasceno negat Deum prædeterminare actus liberos, etiamsi eos prædestinet.

CAPUT XLI.

EXPENDUNTUR TESTIMONIA ET LOCUTIONES DIVI THOMÆ IN QUIBUS SENTIT REPUGNARE LIBERTATI PHYSICAM PRÆDETERMINATIONEM, ET EFFICACIAM PRÆVENIENTIS GRATIÆ CONSISTERE IN CONGRUA VOCATIONE.

Hactenus responsum testimoniis D. Thomæ ex quibus adversarii suam sententiam elicere conantur; reliquum est ut partim ex dictis breviter expendamus multa quæ nobis nostram sententiam plane confirmare videntur, ut, omnibus inter se collatis, saltem perspicere possit lector quid verisimilius sit. Primo ergo nostram sententiam supponit divus Thomas, ubicumque docet, ad libertatem et dominium voluntatis circa actionem suam, necessarium esse ut non recipiat ab alio determinationem actionis, sed hæc sit ab ipsa voluntate, eo modo quo ipsamet actio, quæ non excludit proportionatum concursum Dei.

Est optimus locus in 2, distinct. 23, quæst. 1, art. 1, ad 3, ubi, cum contra libertatem objecisset quod cum actus voluntatis penderet a superiori causa, quæ est Deus, non potest cadere sub dominium voluntatis, respondet, *quod Deus operatur in omnibus, ita tamen quod in unoquoque secundum ejus conditionem, unde in rebus naturalibus operatur sicut ministrans virtutem agendi, et sicut determinans naturam ad talem actionem; in liberum autem arbitrium hoc modo agit, ut virtutem agendi ei ministret, et ipso operante liberum arbitrium agat, sed tamen determinatio actionis et finis in potestate liberi arbitrii constituitur, unde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita, sicut primo agenti.* Apertissimum profecto est testimonium, sed ex ultimis verbis ansam arripiunt eludendi illud; nam ideo dicunt determinationem vel dominium convenire voluntati, non sicut primo agenti, quia necesse est ut a primo agente prius determinetur. Sed hic sensus destruit priorem sententiam, nam si determinatio prius a solo Deo facienda est, non relinquatur in potestate voluntatis, nec cadit sub dominium ejus. Igitur illud dominium creatæ voluntatis ideo non est sicut primi agentis, quia pendet essentialiter ab influxu prioris agentis, et nisi Deus prius ex parte suæ voluntatis et potentiae offerat necessarium concursum et auxilium ad illam determinationem, et ad usum propriæ facultatis, non poterit voluntas illam exercere, quantumvis in suo ordine habeat dominium sui actus. Postea altius consideravi discrimen inter primum agens et secundum agens liberum, quod primum agens non facit internam determinationem liberam suæ voluntatis efficiendo aliquid intra se, sed per eundem simplicissimum actum ineffabiliter se determinat sine reali additione illi facta, ac perinde sine interventu efficientiæ physiciæ ad intra; secundum autem agens liberum non determinatur sine physica efficientia alicujus actus, vel actualitatis, quisquis ille sit, qui intra ipsammet voluntatem liberam fiat. Et hinc necesse est ut illa actualitas, sicut nova est, ita etiam essentialiter dependeat a novo influxu primi agentis; ut autem libertas conservetur, necesse est ut etiam pendeat a potestate libera secundi agentis; et ideo merito divus Thomas utrumque dixit, scilicet, et determinationem debere esse in potestate voluntatis, ut sit domina sui actus, et non ita esse sicut in primo agente.

Vim hujus testimoniis optime confirmat D.

Thomas in eodem 2, distinct. 28, quæst. 1, art. 1, dicens: *In hoc penitus liberum arbitrium destruentes* (loquitur de Hæreticis, qui dicebant hominem omnia operari cum determinatione ad unum), unde subjungit: *Non enim esset homo liberi arbitrii, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret, ut ex proprio judicio eligeret hoc aut illud, ut supra dictum est.* Ubi est considerandum pro eodem ducere D. Thomam, quod voluntas operetur necessario, vel quod operetur ex determinatione innata et connaturali, de qua D. Thomas loquitur. Sed profecto non minorem necessitatem infert determinatio ad unum ab extrinseco agente immissa sine cooperatione recipientis, quam si ab extrinseco esset innata, quia in pura receptione nulla est libertas, et post receptionem, tanta est necessitas consecutionis effectus ex una determinatione sicut ex alia. Et in eadem sententiam scribit D. Thomas, in 4, d. 49, q. 1, a. 3, q. 2, ad 1: *Quod potentia rationalis se habet ad opposita in his quæ ei subsunt, et hæc sunt illa quæ per ipsam determinantur, non autem potest in opposita illorum quæ sunt ei ab alio determinata, et ideo voluntas non potest in oppositum ejus, quod ex divina impressione determinatur, scilicet, in oppositum finis ultimi; potest autem in oppositum eorum quæ ipsa sibi determinat, sicut sunt ea quæ ordinantur in finem.* Unde, cum libertas voluntatis consistat in potentia ad oppositum, constat ex sententia divi Thomæ, quod, sicut determinatio impressa ab alio tollit potentiam ad oppositum, tollit libertatem.

Hinc idem D. Thomas, quæst. 22 de Veritate, artic. 6, idem esse putat aliquid esse necessarium, et esse immutabiliter determinatum ad unum. Unde e contrario infert in his rebus habere voluntatem libertatem, et non necessitatem, in quibus habet indeterminationem; et similiter quæst. 6 de Malo, ideo dicit Deum movere voluntatem secundum conditionem ejus, id est, non ut ex necessitate, *quia movet illam, ut indeterminate se habentem ad multa*, id est, non determinando illam sine illa. Quod clarius declaravit in 1. 2, quæst. 9, artic. 6, ad 3, dicens, quamvis homo non possit aliquid velle sine universali motione Dei, nihilominus hominem se determinare ad volendum hoc vel illud bonum, vel apparens bonum. Et in q. 80, a. 1, ad 3, similiter dicit Deum esse universale principium omnis interioris motus humani: *Sed quod determinetur ad malum consilium voluntas humana, hoc directe quidem est, ex voluntate humana.*